

216

1741,22.

PROCANCELLARIUS
D. IOANNES FLORENS RIVINVS,
COD. P.P. CANON. MARTISBURG. CAPIT. WVR-
CENS. DECANVS, FACULTAT. IVRID. AS-
SESS. ET ACADEMIAE DECEMVIR,

SOLEMNIA IN AVGVRALIA
CANDIDATI CLARISSIMI
M. CHRISTIANI GODOFREDI
WEIDLICHII
LIPSIENSIS,

DIE XIV. SEPTEMBR. M DCCXXXI.
CELEBRANDA
INDICIT.

de bonis constante matrimonio acquisitis



Individua illa vitae consuetudo quae inter coniuges sacro matrimonii foedere constituitur, continet obligacionem ad mutuum amorem & adiutorium, eaque tribuit vtriusque fortunae communionem; quid enim tam humanum quam fortuitis casibus mulieris maritum, uel uicissim vxorem viri partipem esse *L. 22. §. 7. π sol. matrim.* Hinc uxor socia rei humanae atque diuinae domus *L. 4. C. de crim. expil. haered. uid. Radulph. Forner. Rer. quot. L. III. c. 29.* imo in sensu amico domina quodammodo dicitur *L. 1. π de act. her. amot. L. 36. §. 4. L. 41. pr. π de leg. III. L. 40. §. 1. π de auro et arg. leg. L. 19. §. 1. π de annuis leg. Nou. 74. c. 4. pr.* Ante decemuiri os iam reges olim de bonorum inter coniuges communione iunctim tulisse legem cum capite de patria protestate, indicio est lex *Numae Pompili* successoris Romuli huius tenoris: si pater filio concesserit vxorem ducere, quamcum sacra et bona iuxta leges communicet, patri posthac nullum ius esto vendendi filium apud *Dionys. I. Halicarn. Ant. Rom. L. II. cap. 28.* Ad hanc ex lege antiqua communionem *L. alleg. 4. C. de crim. expil. haered. et L. 1. π de R. N. sortasse respiciunt Theodor. Marci. Coll. et Interpr. LL. XII. Tab. Cap. XXI. At mox*

IV

mox neglexerunt Romani hanc communionem, nec ex legis prouisione solitaria vlla bonorum inter coniuges communio amplius obtinuit, sed maritus sibi de dote prospicere debebat, nisi omissa hac cura, onus alendi vxorem totamque familiam solus subire vellet: Germani ueteres indulgentiores in foeminas, iure quasi postliminii ipsis asserebant communionem quandam bonorum, inde paroemia iuris germanici: Leib an Leib, Gut an Gut. Et in *Spec. Sax. L. I. art. 31.* dicitur: Mann und Weib, haben nicht gezweyt Gut zu ihrem Leibe. Nec non in *Spec. Sueu. c. XLVI.* Man und Weib mögen nicht gehaben Gut gezwaltet. At enim uero assentiri non possumus *Gailio, Mevio atisque qui vniuersalibus Germaniae moribus eandem communionem introductam esse venditant, refragantur enim mores, in primis Saxonie, proinde qui se in tali consuetudine fundat, eandem tanquam rem facti probare tenetur, saepiusque sententia interlocutoria necessitatem eandem probandi iniunctam fuisse recordamur. Quamvis negari nequeat, multis in locis et provinciis eandem moribus inualuisse, aut lege speciali fuisse stabilitam, e quibus Hamburgenses, Lubecenses, Brunsvicenses, comitatum Lippensem nominasse sufficiat. Phatarchus svadet c. X. in vniuerso terrarum orbe introduci debere istam communionem, et voces istas, meum, non meum e coniugio exterminandas esse, ut, sicut matrimonium contrahentium corpora, ita quoque opes confundantur. Cui non pauci adstipulantur, et ex regula imaginariae aequitatis concludunt, eorum qui in indissolibili societate coniugali uiuentes, omne periculum, omne incommodum, quoduis fatum commune habent, bona etiam quae ad avertenda pericula, ad sustinenda incommoda et promouenda commoda faciunt,* quam

quam maxime, communia esse deberē, cum prouida oeconomiae administratione et frugalitate sua ad incrementa rei familiaris saepe multum conferant et pārem cum maritis, imo quandoque maiorem industriam adhibere soleant vxores. Ego vero merito ab his secessum facio, nec multitudini dissidentium cedo. Maritus est caput familiae; imperandi et dirigendi rem familiarem potestatem sapientissimus connubiorum fundator ipsi tribuit; ipse vxori de uictu et amiectu, utque quandoque liberalius uiuat, prospicere, et in yniuersum onera matrimonii sustinere tenetur. formata est e costa mariti mulier, vt auxilium viro ferat, eiusque commodum curet. Ut igitur felix faustumque sit, maneat, ac tale finiatur matrimonium, eius est partium, uirum adiuuare, et quantum in ipsa, omnia officiorum genera, sexui conuenientia ad finem istum obtinendum conferre; fidelem esse in thoro, ne uiolet, et quoad mensam, per quam intelligo liberam omnium rerum et bonorum administrationem. Ius illud mariti proprium pingue et adeo late patet, vt marito in omnibus licitis negotiis obedire teneatur, communem igitur laborem eandemque cupiditatem cum marito in parandis aequa ac tuendis rebus adhibeto. Huius opera laboribusque facultates in domum ueniunt, eiusque proprium est acquirere, sed vxoris officium acquista conseruare, idque studio suo domestico intendere, ne maritales vigiliae dissipentur. Nec admitto cum Ludovico, Schoepfero aliisque ad Tit. n^r de R. N. discrimen inter artificiales & non obsequiales operas, potius omnes obsequiales mihi censem. Quae enim in nuptias consentit, in officio mariti esse et simulacra manus mariti venit, ad manus quasi data ac indeterminatas vt sic dicam ope-

VI

ras, quae in commodum et solatium mariti cedunt, non spe
lueri allecta, sed officii intuitu obstricta esse censetur *L. 48. π de
oper. libert.* acquiriturque nobis non solum per nosmet ipsos,
sed et per eos, quos in potestate habemus *L. 10. pr. ff. de A.
R. D.* Quodsi enim artifex artificis filiam idem artificium edo-
ctam thoro sibi iungeret, eiusdem operas certe absque spe
remunerationis ab eadem postularet, eum enim fortasse in fi-
nem eandem elegit. Id ipsum olim in foro coram praetorio
Lipsiensi felici successu obtinui in causa *G. c. I. fartorem*, qui
vxori rei fatoriae optime gnarae, ob operas artificiales praestis-
tas, dimidiam partem domus communis opera vxoris acquisi-
stiae iudicialeiter concederat eandemque de ea inuestiri cura-
verat, quam, eadecinde mortua sine liberis, forores eius a ma-
rito iure successionis ab intestato petebant, absolutoriam ve-
ro obtinebat sententiam et actus iste deficiente titulo iusto et
ad transferendum dominium habili pro donatione mortis cau-
sa reputabatur, quae donataria ante donantem mortua eu-
nuerat. Imo licet vxor mercatrix fuerit, acquisita tamen ex
negotiatione cedunt marito tanquam usufructuario et legitimi-
mo administratori, nisi expresse maritus iuri suo renunciae-
rit, nec enim coniecturae et praefunctiones sufficiunt, sed vo-
luntatis expressa declaratio desideratur, nec dum separatam
ei negotiationem concessit, propterea iuri suo renunciasset
censendus conf. *Menken. ad Tit. de R. N. §. XXIX.* Speciem
maiores habere posset in pagis, vbi uxores in re rustica saepius
aequales maritibus imo utiliores operas adhibent, si his aeque
lucrum assignaretur. Nec fortassis fallax est coniectura eorum,
qui hanc potissimum rationem subesse autumant, cur multis in
pagis Saxonicas viduae dimidium bonorum loco communionis

relin-

relinquatur. Ita Smalcaldiae vxor defuncto marito itidem ex
 omnibus bonis, constante matrimonio acquisitis, partem dimi-
 diam iure proprio et irrevocabili capit, ob peculiarem rationem,
 quod vxores in officinis ferrariis et fabrilibus, quales ibi pluri-
 mae inveniuntur, non minus quam viri defudant, ac proinde
 tanto magis in partem lucri, non solo et proprio mariti merito
 obtenti, admittendae sint. Sed quid dicemus de marito muneri-
 bus publicis ornato? Hic non viribus corporis sed animi ac-
 quirit, quem igitur his aequalem laborem ab vxore expecta-
 bit? Societatem igitur leoninam dices, si in foemina habi-
 litas conferendi operas desiceret. Quicquid igitur constante
 matrimonio acquiritur, cedit marito tanquam capiti familiae,
 & quicquid honeste ab vxore acquiritur, nisi fortasse heredita-
 tes aliaque lucra propria excipias, existimandum ex rebus
 mariti ad eam peruenisse, et ad mariti patrimonium referen-
 dum, licet cura vxoris interuenerit et viri negotia procuraue-
 rit *L. 31. pr. π de don. int. vir. et ux.* quod euitandi turpis que-
 stus gratia circa vxorem Quintus Mutius probasse refertur
L. 51. π eod. et in vniuersum veteres iuris autores merito cre-
 diderunt *L. 6. C. eod.* communionem esse matrem discordia-
 rum et ex discrimine mei et tui metuenda esse varia pericula
 et indecora iurgia, dissidia internosque motus, praesertim
 si non aequalis vtriusque frugalitas, nec animorum aequa-
 litas, nec vna eademque constans et perpetua voluntas, sed
 mores plane diuersi. Ius dirigendi familiam communem per-
 tinet ad reseruata et priuilegia maritorum, quae his salua et
 integra manento, imo laederetur mariti existimatio et con-
 tra bonos mores foret, si vxoris quasi consensum requirere
 vellemus in administranda parte dimidia vxoribus assignata,
 et proprietatem concedere, cum rerum amotarum actione
 coh-

VIII

conueniri queat. Si curatus in indolem et naturam communionis sic dictae bonorum inter coniuges, inquirimus, sane non ex legibus societatis et doctrina iuris romani, sed ex iure et favore successionis res aestimanda ac decidenda est, si quidem maritis non denegant facultatem, constante matrimonio de rebus acquisitis disponendi, sed saltim videlicet post mortem mariti praemissi loco lucrum dimidiae partis bonorum tempore mortis mariti extantium adiudicant. Sic in Legibus Francorum Lib. IV. c. 9. dispositum: volumus ut vxores defunctorum post obitum maritorum tertiam partem collaborationis, quam simul in beneficio collaborauerunt, accipiant. In legibus vero antiquis collaborationis vocabulo indicantur lucra et commoda ista constante matrimonio conquista vid. Anton. Moronacum ad rubr. tit. π pro soc. Sand. decis. Fris. Lib. II. Tit. V. def. I. In legibus Ripuariorum Tit. XXXVII. hoc vocabulum etiam occurrit, cui respondet dictio germanica: Errungen Gut. Adeoque non est quaestuaria societas, nec communio bonorum vera et propria, sed anomala saltem, quae demum per mortem alterius coniugis vim suam exerit, subesse videatur. Hinc dissentendi aut contradicendi potestas, quae alias in vera societate tanta est, ut in re communis potior sit causa prohibentis, hic prorsus exulat. Euolui meretur tractatus Anton. Ayerue de Ayora Regalis auditorii Granatenensis Aduocati, qui de partitionibus bonorum communium inter coniuges solicitudinem singularem adhibuit. Salua igitur sunt uxoris bona matrimonio illata, vel aliunde quam ex re mariti aduentitia; constante vero matrimonio acquisita, maritis iure proprio vindicanda. Speciosior est illa bonorum communio, quae ob taedium separationis alicubi respectu saltem introducta, quo refero statutum Frisiae Lib. I. art. 4. Tit. 3. quod memorat

memorat Huberus in Prael. Tit. pro soc. §. 4. quo cautum: ut
 supellex intra medium parietem post annum ab inchoata co-
 habitatione matrimonio communis fiat, modo pretium mil-
 le florenorum non excedat. Puto enim hanc esse rationem
 huius statuti, quod post interuallum aliquod temporis quo
 simul habitarunt, quale hic annuum commemoratur, ita mixta
 videatur supellex utriusque, ut difficile sit in memoriam reuoc-
 care, cuius quaeque res fuerit. Caeterum etiam iis in
 locis, vbi communio bonorum inter coniuges inualuit, aut usu
 seruatur, strictissima interpretatio est adhibenda, ita, ut si
 fortasse lege provinciali, vti in Statut. Schwarzburgic. Art.
 XV. legitur, communio restricta auf gewonnene Güther, illa vni-
 ce se referat ad bona constante matrimonio utriusque coniugis
 industria acquista, non quae ad unum alterumue iure suc-
 cessionis ab intestato aut ex testamento peruererunt, prout
 Domini Scabini Lipp. responderunt Mense Aug. 1704. versus E.
 quaerente N. S. additis rationibus: Obwohl in denen Schwarz-
 burgischen Statuten art. 15. verordnet, daß nach Absterben des legi-
 ten Ehegatten die gewonnenen Güther auf des überlebenden Ehegat-
 ten Freundschaft alleine fallen sollen, und angeführt werden möchte,
 daß die Worte: gewonnen, in einem so generalen Verstande ange-
 nommen werden können, daß es auf allerley erworbne Güter, sie
 mögen gleich vniuersali oder singulari, lucrativo oder oneroso
 titulo acquiriret seyn, zu ziehen, dieser Verstand auch dem Schwarz-
 burgischen Statute gemäß zu seyn scheinet, weil nicht zu befinden,
 daß Erbguth dem gewonnenen, sondern vielmehr das vor und in der
 Ehe erlangte darinnen einander entgegen gesetzt wird. D. a. d. ver-
 gleichen Statuta als das gegenwärtige ist, in societate bonorum in-
 ter coniuges gegründet, und mit dieser es insgemein die Bewand-
 niß hat, daß sie zwar pro generali nicht aber vniuersali omnium

)()

bonorum

X

bonorum angenommen wird, immassen auch dergleichen aus dem Schwarzburgischen Statuto erscheinet, als in welchem theils Güter dem überlebenden Ehegatten nur auf sein Leben gewidmet, und dem Rückfall unterwürfig gemacht, wohingegen solcher sich ereignet, und nur die gewonnenen Güter dem überlebenden Ehegatten erblich zugetheilet, die durch Erbschafften in währender Ehe ein oder dem andern zugefallne darunter nicht begriffen, in Betrachtung, daß nach Eigenschaft des Wortes: gewonnen, nur die durch der Cheleute Fleiß und Arbeit acquirirte verstanden werden, welches in denen Statutis so a iure communi abweichen, um so vielmehr davor zu halten, und dieser Verstand nicht undeutlich aus dem Schwarzburgischen Statuto zu erkennen, indem diejenigen so von des einen Freundschaft herkommen, derselben hinwieder zufallen sollen. Prout etiam illa communio ipso momento mortis expirat, ita ut superstes coniux postea acquisita iure proprio retineat. conf. Iac. Coren Obs. Rer. iud. obs. XI. et XII. Sic Budissinae obtinet quaedam communio bonorum inter coniuges, et vidua, si super bonis mariti concursus oriatur, saltem eam partem bonorum creditoribus relinquit, quae ex matrimonio eidem competit, et horum intuitu pro correā habetur, quatenus sufficiunt; licet igitur bonis cesserit, tamen postea acquisita retinet, nec ad meliorem fortunam si peruerterit, quidquam conferre tenetur creditoribus. Ita nouissime Ordo noſter me interprete respondit Menſe Febr. 1740. Senatui Budiss. in causa G. G. creditorum. Occasionem huic praefamini praebuit diſſertatio inaugralis

Nobilissimi

Nobilissimi et Clarissimi Candidati

M. CHRISTIANI GODOFREDI WEIDLICHII.

Natus is est Lipsiae , quae foecundissima praestantissimorum ingeniorum mater est atque altrix, anno huius Seculi XV. d. XV. Kal. Sept. Patre PAULO WEIDLICHO, mercatore non incelebri, Matre GRAIA, praefecti quondam Plauiensis filia, qui parentes, mutato, quod hic constituerant domicilio, eundem puerum, curae privatee praceptorum vsque ad annum aetatis decimum tertium commiserunt; postea scholam Schlaizensem ingressus ibidem per integrum sexennium commoratus moderatoribus NAUNDORFIO, HAYNISCHIO humano-rum literarum initia hausit. Ad altiora praeparatus, solum originis, Almam nostram anno insequente quarto et trigesimo repetiit. In philosophicis optimorum doctorum institutione usus.

Ad Sacra Themidos accesit ducibus BAUERO, HOMMELIO, THOMASIO, SCHARSCHMIDIO, qui nunc lenae publico Professoris munere defungitur.

Anno trigesimo nono ab amplissimo philosophorum ordine lauro liberaliter donatus; mox cathedram philosophicam ascendit, dissertationem de praescriptione in statu naturali considerata, praeses tuitus est. Hinc Geram se contulit, causasque in foro perorare coepit, vtque eadem in terris Saxonicae potestas ipse fieret, huc reuersus, me praefide de peculiorum diuersitate ad Lib. XV. Pandectarum praeante

X)(2

Ludo-

XII

Ludouici respondens disputauit; statim ad examen, quod pro
praxi vocant, ab ordine nostro admissus et felici sidere cau-
sas forenses tractauit. Nuperrime vero, ab eodem ordine
nostro summos in utroque iure honores petiit, quos eo minus
eidem denegare fas erat, cum iam in priore examine se omni-
no dignum qui ad praxin admitteretur, exhibuerat. Susti-
nuit ergo duo illa, quae subeunda erant examina, in quibus
expectationi nostrae bene satisfecit. Proximo Mercurii Die
hora pomerid. II. & III. L. I. C. de Hered. Tutor
lectione cursoria explicabit, subsequente vero die,
dissertationem inauguralem de Acquaestu vxorum
solus defendet; quibus peractis Collega noster honoratissi-
mus summe reuerendus et excellentissimus Dominus D.
FRIDERICUS ALEXANDER KÜNHOLD, P. P.
Can. Numb. et Facult. nostr. Assess. a me, ad hunc actum
clementissime designato Procancellario, legitime pro-
motor substitutus, iura Licentiati et Doctoris extra fa-
cultatem ipsi tribuet. Panegyrin hanc ut Rector Acade-
miae Magnificus, Comites illustrissimi, Proceres utrius-
que Reipublicae gravissimi splendidiorem, Generosissimi
aque Nobilissimi ciues nostri numerosiorem reddere
non dedigentur, omni obseruantia ac humanitate rogo
atque contendeo. P. P. Lipsiae Dom. XV. P. F. S. S. et I. Trí-
nit. A. S. O. R. M DCC XLI.

EX OFFICINA SAALBACHIANA.

ULB Halle
003 850 080

3



56





PROCANCELLARIUS
D. IOANNES FLORENS RIVINVS,
COD. P.P. CANON. MARTISBURG. CAPIT. WVR-
CENS. DECANVS, FACULTAT. IVRID. AS-
SESS. ET ACADEMIAE DECEMVIR,
SOLEMNIA IN AVGVRALIA
CANDIDATI CLARISSIMI
M. CHRISTIANI GODOFREDI
WEIDLICHII
LIPSIENSIS,
DIE XIV. SEPTEMBR. M DCCXXXI.
CELEBRANDA
INDICIT.

de bono constante matrimonio acquiritis